


בָּשָׂר  
DISPVTATIO THEOLOGICO-POLEMICA,  
QVA  
**LVDOVICI DE DIEV**  
APHORISMOS THEOLOGICOS  
FALSOS ET ERRONEOS  
REFVTAT,

*PRAESIDE*  
VIRO MAGNIFICO, SVMME REVERENDO ATQVE  
EXCELLENTISSIMO,  
**DN. CHRISTOPH. HENRICO**  
**ZEIBICHIO,**

SS. THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL. CONSIST. ECCLES.  
ASSESS. ET AD OO. SS. PRAEPOSITO,

PRAECEPTORE AC PATRONO, OMNI HONORIS  
CVLTV AETERNVM PROSEQVENDO,

*AVCTOR ET RESPONDENS,*

M. HENRICVS   
HOYMA - ANHALT.  
DIACONVS SVNICENSIS,

PRO CANDIDATVRA THEOLOGICA,  
IN AVDITORIO MAIORI,

A. C. M D CC XXXVIII. D. VIII. MAIL.  
HORIS ANTEMERIDIANIS CONSVETIS.

VITEMBERGAE, IMPRESSIT IOANNES HAKIVS.

19.  
a. CXXXVIII. 32.

VEHIC HGI RÖWODU

# VIRIS

PRAENOBISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,  
DOCTISSIMIS AC SAPIENTISSIMIS,

AD

*B. DN. CONSVLIS ASCANIENSIS,*

*IN BVR. CONSVLIS ASCANIENSIS,  
DAVIDIS ROLOFFII,*

# TESTAMENTVM

# LEGITIME CONSTITVTIS

DNN. TESTAMENTARIIS,  
MEIS

# MEIS

**INPRIMIS NVNQVAM NON COLENDIS**

MVLTISQVE SVSPICIENDIS NOMINIBVS

# PATRONIS

S





Lector benevole,

**N**on dubito, fore plerosque, qui hoc genus disputationis non satis dignum, locum inter Theologiae Candidatos sibi vindicante, judicent, cum refutatos legent Aphorismos Theologicos LVDOVICI DE DIEV, præservim, cum inter eruditos jam constet, editorem Aphorismorum modo dictorum reformatum Calvino-reformatæ Ecclesiæ chorda oberrare eadem. Vid. NEVMANNI Theologia Aphoristica, pag. 315. Sed bierunt fere, qui putabant, me voluisse observationes meas refutatorias plurimæ lectionis VIRIS, nec non subactissimo judicio THEOLOGIS conscribere: quod autem tantum abest, ut illos doceam, ut contra ab illis docear perpetuo. Quicquid observavi, in gratiam proficientium, qui forte allegatum hunc legunt Auctorem, observatum esto. Quare ad propositum veniam, & in hac disputatione Theologico-polemica, præstaboid, quod promisi. Faxit Deus feliciter!

### CAP. III.

#### DE DEO.

Pag. m. 21. Aphorismus 12.

**D**istinctio voluntatis Dei in absolutam & conditionatam, antecedenter & consequenter, ab adversariis explicata, pugnat cum natura Dei, & S. Scriptura.

Est falsus & erroneus. Quia

1. Hæc distinctio non statuit Deum in decretis mutabilem, quod saltim competit in hominem, in quo omnes fiunt mutationes, Jac. I. 8. Cap. IV. 8.

2. Nequaquam suspendit Deum, & ejus voluntatem a creaturis, quarum tamen Deus est, quo nihil prius, neque majus; sed innuit gratiam ejus universalem, inclusa mediorum salutis ræsa, ad fidem integrandam faciente, Tit. II. II. Matt. XXVIII. 19. Joh. III. 16. XVI. 27

A 2

3. Quam

**LUDOVICI DE DIEV APHORISMI THEOLOGICI**

3. Quamvis nulla conditio sit Deo causa volendi, aut agendi, cum omnia agat per se; Prov. XVI. 4. fidem tamen respicit, ut finem & effectum, in hominem introducendum, Joh. XX. 31.

4 Minime arguit Deum imprudentiae; statuendo, Deum decernere, quod nunquam futurum praesciat certissime: sed hominem, qui veritate non obedit, Gal. III. 1.

5. Omnia quidem sua consilia, per suam essentiam, Deus exsequitur; ordine tamen procedit, Ps. CXI. 3.

**CAPVT V.  
DE PRÆDESTINATIONE.**

Pag. m. 34. Aphorismus 4.

**D**ecretum electionis fundatum est in mero DEI beneplacito, non in prævisa fide.

Est falsus & erroneus. — Quia

1. Non solum beneplacito Dei illud scriptura adscribit, sed addit Christum et fidem, Eph. I, 3. 6. II. Rom. IX, 16. 18. 2 Tim. I, 9. Matth. XI, 25. 26. Ebr. XI, 6. Joh. XX, 31.

2. In iis quidem, quos elegit Deus, nihil fuit a natura, quod ipsum ad electionem permovere potuisset: cum fuerint filii iræ, Eph. II, 3. mortui in peccatis, ibid. vers. 15. Col. II, 13. obnoxii condemnationi, Rom. III, 9. inimici Dei; Rom. V, 8. Col. I, 21. 22. gratia tamen iisdem data, factaque est electio, secundum πρέγωστιν, intuitu fidei, per quam custodiuntur in salutem, 2 Tim. I, 9. 1 Petr. I, 1. 2. 5.

3. Non ad fidem, sed in prævisa fide finali futura, electi sumus ad sanctitatem vitae, 1. Petr. I. 1. 2. 5. Matth. XXIV. 13. Eph. I. 4. 5. 6. Rom. VIII. 28. Act. XXII. 14. Tit. I. 1.

4. Fides & conversio, omni modo & sensu, non sequuntur electionem, quæ demum, prævisa fide finali, est facta, 1. Petr. I, 1. 2. 5. Apoc. II, 10. Joh. X, 16. 26. 27. Rom. VII, 29. 2. Tim. I, 9. Act. XIII, 48.

5. Election non est volentis aut currentis in studio pietatis hominis, sed ex data in Christo gratia, salvantis, miserentis, nec non vocantis Dei, Rom. IX, II. 16. 2. Tim. I, 9. 1. Petr. I, 5.

6. Etsi nos non Deum elegimus, sed Deus nos elegit prior; Joh. XV, 16. 19. 1. Joh. IV, 10. 19. non tamen ex mero beneplacito, absque intuitu fidei in Christum, Filium Dei unigenitum, Joh. III, 16. 17. 18.

7. Quam-

7. Quamvis non sit objectum electionis homo, per gratiam jam restauratus, i. e. in ipso lumine vitæ æternæ constitutus; est tamen finaliter credens, & per gratiam restaurandus, Hebr. XI, 1. 6. Joh. XVII, 3. 2. Petr. I, 10.

Pag. m. 38. Aphorismus 8.

**F**alsum est, quod dicunt quidam (Lutherani sc.) Deum decreuisse, omnes & singulos salvos fieri, si in Christum sint credituri, & in fide perseveraturi.

Est falsus & erroneus. Nam

1. Lutherani sententiæ suæ in S. scriptura inveniunt præsidium, Tit. II, n. Joh. III, 16. 18. Matth. XXIV, 13. contrarium non docente, 2. Tim. II, 19. Joh. XIII, 18.

2. Decretum Deo non tribuunt frustraneum & imprudens, qui ferum aliquod decretum suspendet a conditione, quam nunquam impletum iri, ut ut præsciatis; Hebr. VI, 17. Jes. XLVI, 10. implere enim eandem posset, & vellet, si modo homo crederet, Roin. III, 3. 2. Tim. II, 13.

3. Fidem & conversionem libero corrupti hominis arbitrio non subjiciunt, cum, illas ante electionem prævisas esse, dicunt. Sunt enim mere gratuita dona, ex gratia in Christo homini lapsi fluentia, Eph. II, 8. 9. Act. XIII, 48. Rom. VII, 28. 29. 30. 2. Tim. I, 9.

## CAPVT VI. DE REPROBATIONE.

Pag. m. 42. Aphorismus 1.

**D**eus ab æterno ex lapsis hominibus quosdam absoluto decreto reprobat, i.e. ad damnationem posuit.

Est falsus & erroneus. Quia

1. Deus non juxta decretum absolutum damnavit aliquos; sed finaliter incredulos, ac propria culpa ad interitum aptatos, Matth. XXV, 41. Marc. XVI, 16. Hos. XIII, 9.

2. Licet fecerit Deus etiam improbum ad diem mali; Prov. XVI, 4. Rom. IX, 17. 18. factum tamen hoc est, propter improbitatem ejus: si fuisset probus, fuisset gratus, Gen. IV, 7.

3. Figulus quidem dicitur, qui ex eadem massa, facit vas ad decus, & ad dedecus; Rom. IX, 19. 20. 21. non injustus tamen, sed justus est Deus, Deut. XXXII, 4.

4. Aliorum utique misereri, alios indurare, scil. ex justo judicio punitivo, ob refectionem omnium mediorum salutis, Rom. IX, 16. 17. 18. Joh. XII, 39. 40. Luc. VII, 30. Act. XIII, 46. neminem autem absolute damnare decrevit, Marc. XVI, 16. Propterea etiam alii (fideles) vocantur vasa misericordiae; alii (infideles) vasa irae, Rom. IX, 21. 23. Aliquos (scil. finaliter credituros in Christum) Deus ab aeterno amavit specialiter; aliquos (scil. quos in fide non perseveraturos, praevidit) ex odio justo reprobavit, Rom. IX, 11. 13. Matth. XXIV, 13.

5. Cum damnari plurimos, testatur Scriptura, indicat illa simul causam damnationis, incredulitatem videlicet finalem, Matth. VII, 21. 23. I. Joh. III, 23. Matth. XX, 16. Marc. XVI, 16.

6. Christus quidem dicitur positus in casum multorum, Luc. II, 34. & verbum est quibusdam odor mortis ad mortem; 2. Cor. II, 15. 16. non aliter tamen, quam per accidens, ob scandalum acceptum, Matth. XI, 6. I. Cor. I, 23. ob malitiosam verbi rejectionem, Jes. XXVIII, 12. Jer. VI, 16. Joh. XII, 48.

7. Hinc dicuntur etiam filii perditionis, quibus locus paratus, Joh. XVII, 12. Act. I, 25. vasa compacta ad interitum, Rom. IX, 22. praescripti ad damnationem, Judæ vers. 4.

8. Nullis negat Deus media salutis (ergo nec salutem) v. g. verbum suum, Ps. CXLVII, 20. Act. XVI, 6. conf. Rom. III, 1. 2. 29. Cap. X, 18. cognitionem mysteriorum, Matth. XI, 25. Cap. XIII, 11. confer. I. Tim. II, 4. fidem, Joh. X, 16. 2. Thess. III, 2. conf. Actor. XVII, 31. Rom. III, 30. preces Christi, Joh. XVII, 9. conf. I. Tim. II, 5. 6. I. Joh. II, 1. 2.

9. Utique electi sunt aliqui, scilicet fideles usque ad mortem, qui non confunduntur, Rom. IX, 33. ceteri vero, ex justo Dei judicio punitivo, sunt reprobati, quorum nomina, propter infidelitatem finalem, non sunt scripta in libro vitae, Apoc. XIII, 8. Cap. XVII, 8. XX, 15, conf. Joh. VI, 64. Rom. IX, 32.

## CAPVT IX. DE STATV HOMINIS ANTE LAPSVM.

Pag. m. 55. Aphorismus 2.

**A**nima hominis non propagatur ex traduce.

Est falsus & erroneus. Nam

I. Licet Deus Pater spirituum dicatur, contradistincte a Patribus  
car-

carnis; Hebr. XII, 9. notandum tamen est, Deum non immediate ad-huc creare animas, ideoque vocari Patrem spirituum: sed potius ita dici, propter creationem spirituum completorum invisibilium ac ani-mæ primæ, ex puro nihilo negativo, quam inspiravit in nares hominis primi, Gen. II, 7. atque sic contradistinguitur a Patribus carnis, gene-rantibus carnem, i. e. totum hominem, post lapsum corruptum, Gen. V, 3. Cap. VI, 12. 13. Joh. III, 6. Potissimum tamen dicitur Pater spirituum, propter regenerationem & spiritualium donorum collationem, quod eleganter B. Dorschæus, Commentario in hunc locum, exprimit his verbis: *Deum, non quatenus in regno is naturæ vitam & halitum omnibus dat, sed quatenus in regno potius gratiæ, ex aqua & Spiritu regenerat multos, in plurali Patrem nuncupat Spirituum, i. e. spiritualem.*

2. Creavit quidem Deus, ex pure nihilo negativo, primam animam, eamque in nares Adami inspiravit, Gen. II, 7. coll. cum Zach. XII, 1. formavit quoque mediate secundam animam Evæ, per unam de costis, quam sumserat de Adamo, Gen. II, 21. 22. et nunc non amplius ita, sed mediate per Parentes, & corpus, & animam propagat, Gen. V, 3. coll. cum Zach. XII, 1.

## CAPVT XIX.

### DE IDIOMATVM COMMVNICATIONE.

Pag. m. 97. Aphorismus 2.

**I**diomatu, seu propria divinæ naturæ, non sunt per unionem personalem communicata naturæ humanæ.

Est falsus & erroneus. Nam

1. Scriptura S. idiomata divinæ N. humanæ Christi naturæ tribuit; ita tamen, ut vindicetur proprietas Deitati, cui formaliter competit, & approprietur Humanitati, cui non formaliter, sed per unionis gratiam, competit, 1. Petr. III, 18. Eph. II, 4. Rom. I, 3. Cap. IX, 5. 2. Cor. XIII, 4. Ebr. IX, 12.

2. Licet non competant humanæ Christi naturæ idiomata divinæ na-turæ σιωδῶς; competunt tamen *καὶ ἐνώσεως χάριν, καὶ ἄλλο.* Ergo hu-manæ Christi N. in hypostasi Deitatis sit, necesse est, Matth. XXVIII, 18. Hebr. VIII, 1. Apoc. III, 21. coll. cum Jes. LXVI, 1.

3. Λόγος, cum sua divina natura, propriam suam gloriam & excellen-tiam humanitati, hypostaticè sibi unitæ, ob hanc ipsam uninionem hy-posta-

postaticam, vere & realiter, absque ulla naturarum & proprietatum commixtione, aut confusione, communicat ad communem possessionem, denominationem atque usurpationem, sic credentibus, docentibus, & confitentibus Lutheranis, in *solida, plana ac perspicua Declaratione quorundam articulorum*, secundum Scripturam, Joh. I, 14. Cap. VI, 22. 23. 26. 27.

**H**

Pag. m. 98. Aphorismus 3.

*Humana Christi natura non est ubique per unionem personalem.*

Est falsus & erroneus. Nam

1. Testatur quidem historia evangelica, Christum, ante & post resurrectionem, e loco in locum migrasse vere & proprie; attestatur autem eadem insimul, invisibiliter eum adfuisse, vidisseque ibi, quo non migraverat, Joh. I, 48. Joh. III, 13.

2. Licet testetur, illum etiam corporaliter, visibiliterque multis in locis non fuisse; Joh. XI, 15. Luc. XXIV, 6. Matth. XXVI, 11. asserit tamen simul invisibilem ejus præsentiam, Matth. XVIII, 20.

3. Non sequitur, Christum non potuisse vere nasci, mori, in cœlum ascendere, scil. secundum humanam naturam, in se finitam, secundum quam, locum deserere, & novum acquirere potest, Act. X, 38. 39. 1. ad Tim. III, 16.

4. Ut verum sit, quod humana Christi natura in unione personali sit et maneat per se finita, i. e. suis ac alienis terminis intrinsece & extrinsece finiatur, quia est corporea; falsum tamen est, si inde negatur, eandem etiam esse ubique per unionem personalem, Matth. XVIII, 20.

**H**

Pag. m. 99. Aphorismus 4.

*Humana Christi natura non est omnipotens per suam unionem personalem.*

Est falsus & erroneus. Quia, hac salva manente, in suis actionibus impediri non potest, licet pendeat in illis ab independente divina natura λόγος, communicantis infinitam suam majestatem atque potestatem ad communem usurpationem, Job. V, 17-30.

**S**

Pag. m. 99. Aphorismus 5.

*Subsistentia τὸς λόγος non est communicata humanæ naturæ assumptæ.*

Est falsus & erroneus. Nam omnino verum est, quod humana Christi natura assumpta sit in substantiam τὸς λόγος; minime autem exinde

exinde sequitur, humanitatem Christi personam, a persona divina diversam, constituere, esseque in Christo personas duas; unam, per subsistentiam propriam; alteram, per communicatam. Subsistentia, enim propria caret humanitas Christi, & unus idemque est assumptione humanitatis in Deum; non confusione substantiae, sed unitate personae. Nam sicut anima rationalis & caro unus est homo; ita DEVS & homo unus est CHRISTVS. Vid. Symbolum S. ATHANASII contra Arianos, scriptum, vers. 34. 35. 36. coll. cum *Luc. I*, 35.

## CAPVT XX.

## DE OFFICIIS CHRISTI.

Pag. m. 106. Aphorismus 8.

**C**hristus, morte sua, non exemit universum genus hominum maledictioni primi peccati.

Est falsus & erroneus. Nam Christus omnino, ex parte sua, exemit universum genus hominum maledictioni primi peccati *Rom. V, 18. seq. 21. i Cor. XV, 22.* licet hic vel ille non credat, maneatque eidem irae & maledictioni obnoxius, *Job. III, 36.*

Pag. m. 106. Aphorismus 9.

**C**hristus pro solis suis electis est mortuus, non pro omnibus & singulis hominibus.

Est falsus & erroneus. Nam

1. Omnino tam late patet intentio Patris, Filium suum unigenitum mittentis, *Job. III, 16. Tit. II, 11.*

2. Impetratio salutis, per meritum Christi, & applicatio respectu hominis, non æque late patent: quoniam multi non applicant sibi per effectum Spiritus S. meritum Christi, sed abnegant Dominum, qui mercatus est illos, induentes sibi ipsis celerem interitum, *2. Petr. II, 1. 2.*

3. Verum est, quod dicere possit nemo fiducialiter, Christum pro se esse mortuum, nisi per fidem, *Gal. II, 20.* interim tamen negari nequit acquisitio salutis hominis, etiam infidelis & reprobi, per mortem Christi facta, *Aet. XIII, 46. 2. Petr. II, 1. 20.*

B

4. Be.

4. Beneficia mortis Christi non omnibus quidem & singulis, sed solis fidelibus applicantur; attamen applicari possunt & debent, ex intentione Dei, 2. *Tim. IV*, 4. 8. *Jes. LIII*, 4. 5. 6. qui fidem, applicationis medium, offert omnibus, *Act. XVII*, 31.

5. Evangelium omnibus prædicatur, & omnibus fidelibus promittit beneficia mortis Christi, *Marc. XVI*, 15. 16. *Job. III*, 36.

6. Dicitur quidem Christus nos redemisse ex omni tribu; *Apoc. V*, 9. verum, hic redemptio, una cum applicatione, spectatur, *Rom. X*, 4. 11. seqq.

7. Mors Christi in S. Scriptura restringitur ad multos, *Mattb. XX*. 23. *Hebr. IX*, 28. id est, omnes, 1. *Job. II*, 2. *Luc. XIX*, 10. *Job. V*, 24. 28. seqq. licet non omnes sint oves Christi, *Job. X*, 15. populus Christi, *Mattb. I*, 21. Ecclesia Christi; *Epb. V*, 25 - 27. *Act. XX*, 28. sed hirci, *Mattb. XXV*, 33. & inimici Christi crucifixi dentur multi, quorum finis est damnatio, *Philipp. III*, 18. 19.

8. Pro quibus Christus mortuus est, pro iis etiam intercedit; 1. *Joh. II*, 1. 2. *Rom. VIII*, 33. 34. At, pro toto mundo, i.e. omnibus hominibus Christus est mortuus, *Rom. V*, 6. 8. 18. 19. Ergo. Quamvis pro mundo (intellige pro reprobis) non intercedat specialiter, *Job. XVII*, 9.

9. Qui per mortem Christi Patri reconciliantur, (scil. non tantum ratione acquisitionis, sed applicationis hujus beneficii simul, *Job. I*, 22.) iis non imputantur peccata, 2 *Cor. V*, 19. *Rom. VIII*, 33.

10. Pro quibus Christus est mortuus, eos maximo complectitur amore; *Job. XV*, 13. *Rom. V*, 8. Atqui pro omnibus hominibus mortuus est, *Rom. V*, 6. 18. Ergo 1. *Job. IV*, 9. 10. Etiam si multi Christum amore reciproco non prosequantur, sed odio persequantur, *Job. 15*, 20.

11. Pro quibus Christus est mortuus, illi etiam possunt servari, *Rom. V*, 6. 18. 19. *Cap. X*, 11. 12. Etiam ii, numero multi, qui jam ante mortem Christi damnati erant in inferno, potuissent salvare per fidem in Christum, agnum Dei, qui tollit peccata mundi, *Job. I*, 29. quique occisus est a fundatione mundi, *Apoc. XIII*, 8.

Pag.

**C**hristus non impetravit morte sua omnibus salutem sub conditione.

Est falsus & erroneus. Nam

1. Quamvis non placabilem aut reconciliabilem Patrem redidit sub conditione dubia, sed revera placatum & reconciliatum; *Gal. III, 13. Rom. VIII, 32. 33. Hebr. IX, 12. 2. Cor. V, 19.* nemo tamen factæ cum Patre reconciliationis particeps fieri potest, nisi sub ordine fidei, quæ offertur, unicuique, *Act. XVII, 31.* & est medium *λαύριον, Job. I, 12.*

2. Finis quidem mortis Christi non fuit possilitas salutis, sed actualis salus, *Col. I, 19. 20. 22. 1. Petr. III, 18. 1. Job. IV, 9. 2. Cor. V, 21.* NB. ex parte & intentione Christi, Deique, certum salutis ordinem præscribentis, quem nemo hominum transgredi audeat, sine dispensatione salutis, per Christum recuperatae, *Job. III, 36.*

3. Etsi Christus morte sua non tantum jus remittendi peccata, sed & ipsam peccatorum remissionem acquisivit; *Jes. LIII, 5. 6. Job. I, 17. 1. Job. I, 7.* acquisitio tamen non est appropriatio, qua opus est homini salvando per fidem, *Gal. III, 13. 22.*

4. Non pro solis electis Christus mortem subiit, *Rom. VII.* sed pro omnibus hominibus promiscue, *2. Cor. V, 15. 2. Petr. II, 1.*

5. Cum impetrazione salutis cohæret ejus collatio, ex seria DEI intentione, ita, ut omnibus velit conferre salutem, quam Christus impetravit, si modo credant, *Rom. V, 1. 2. 8. 9. 10. Cap. VIII, 31-33.*

## CAPVT XXI.

### DE STATV HVMILIATIONIS ET EXALTATIONIS C.

Pag. m. iii. Aphorismus 1.

**D**escensus Christi ad inferos non significat localem Christi descentum in locum damnatorum.

Est falsus & erroneus. Nam, licet salvator ibi a) cruciatus infernales non sustinuerit, namque omnia jam erant consummata, *Job. XIX, B 2.*

XIX, 30. β) nec Patres inde liberaverit, *Hebr. II, 14.* 15. etenim jam a morte in cœlo sunt pii, *Luc. XVI, 22.* atque inde latro dicitur eo ipso die futurus in paradiſo: *Luc. XXIII, 43.* non tamen ad inferos Christi descensus est ultimus humiliaſionis, sed incipientis exaltationis gradus, factus propterea, ut victoria deportata prædicaretur spiritibus in carcere, *i. Petr. III, 19.* coll. cum *Eph. IV, 9.* Ergo non designat angustias illas infernales & cruciatus animæ Christi, de quibus *Mattb. XXVI, 37-39.* *Luc. XXII, 42. seqq.* 1) Evidem sic Scriptura voce inferni utitur, *i. Sam. II, 6.* *Ps. XLIX, 15.* 16. unde dolores inferni; *Ps. CXVI, 3.* *Ps. XVIII, 6.* sed hujus positio non est exclusio alterius usus, de locali Christi descensu in infernum, vid. *i. Petr. III, 19.* coll. cum *Eph. IV, 9.* 2) In Symbolo Apostolico fit mentio gravissimæ passionis utriusque compositi, & crucifixionis Christi.

## CAPVT XXIII.

### DE EVANGELIO ET VOCATIONE EXTERNA.

**V**ocatio non est absolute universalis; cum aliquibus non obtingat.

Est falsus & erroneus. Nam

1. Gentilibus utut facta non sit ante Christum ita, uti Israelitis, *Ps. CXLVII, 19.* 20. οὐ περιστὸν habentibus, *Rom. III, 1.* 2. quoniam Deus elegerat in populum proprietatis ex omnibus populis; *Deut. VII, 6.* facta tamen est, *Gen. IX, 8.* 9. *Jer. XXXI, 10.* *Jes. XLIX, 6.* *Rom. XVI, 26.*

2. Etsi dicuntur fuisse sine DEO, & CHRISTO; *Eph. II, 11.* 12. illi ipsi fuerunt in culpa, *Rom. I, 19. seqq.* *Cap. III, 29.* 30.

3. Ut siverit DEVS nationes ire in viis suis, *Aet. XIV, 16.* scil. ex iusto judicio ob inobedientiam & contemptum, *Ps. LXXXI, 12.* 13. *Rom. I, 28.* non sine testimonio tamen se ipsum reliquit, *Aet. XIV, 17.*

4. Quamvis vocentur ignorantiae tempora, quæ videre transmisit DEVS; *Aet. XVII, 30.* non tamen voluit, sed potius meliora, vel ipso opere creationis, docuit, *Rom. I, 19, 20.* *Job. XII, 9.*

5. Etiamsi, tempore Apostolorum, primum prohibuerit Deus Spiritus

ritus S. prædicari Evangelium certis locis, *Aetor. XVI, 6.* eo ipso prudentiam commendans theologicam erga imprudentes Galatas, *Gal. III, 1.* ne darent, quod sanctum est, canibus, neque projicerent margaritas ante porcos, ne forte conculcarent eas pedibus suis, & versi, lacerarent Apostolos: *Mattb. VII, 6.* Deinceps tamen prædicatum est, *Aet. XVIII, 23.* coll. cum tota Epistola ad Galatas.

6 Quanquam etiam multi mortui sunt, omni tempore, qui nihil vel fando de CHRISTO audiverunt; propria eorum culpa id factum est, quod nihil præjudicat vocationi divinæ universali, *2 Thess. I, 8. Mattb. XXVIII, 19. Gen. IV, 26.*

7. Posito, integros populos inveniri, inter quos nulla Evangelii indicia; culpa tamen tribuenda est illis ipsis, *Gen. VI, 3. 1. Petr. III, 20. Gen. X, 5. Rom. I, 28.* non DEO vocanti, qui id, quod promisit, stabilivit inter omnes gentes, *Gen. XXII, 18. Num. XXIII, 19.*

## CAPVT XXIV.

### DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Pag. m. 125. Aphorismus 4.

**S**acramenta non continent in se gratiam, aut rem signatam: neque eam ipsa conferunt, sed a DEO datam, obsignant.

Est falsus & erroneus. Quia

1. Licet vocentur signa; non tamen nuda sunt, adulorum, quoque, qui fidem per verbum DEI prædicatum jam acceperunt a Spiritu S. *Genes. XVII, 11. Rom. IV, 11. 1. Cor. XI, 24. 25. Exod. XIII, 9.* instituta, in memoriam Christi, invisibiliter præsentis, *Luc. XXII, 19. Mattb. XXVIII, 20.*

2. Evidem fidei statum prærequirunt in adultis; *Rom. IV, 11. Aet. II, 41. Cap. VIII, 12. 37.* infantibus autem primum initiationis Sacramentum, baptisma, confert fidem, sine qua nemo beneficiorum Christi particeps fit, *Rom. V, 1. Gal. V, 6.*

3. Omnino soli DEO, qui ordinarie per media, verbum & Sacra-  
menta, nobiscum agit, gloria tribuitur, *Mattb. III, ii. 2. Cor.*  
*III, 6. 7. Deut. XXX, 6.*

4. Sacramentum circumcisionis quidem adhibetur ad justitiam  
fidei, & gratiam jam habitam, obsignandam in Abrahamo, aliis-  
que in domo ejus: *Rom. IV, ii. Gen. XV, 6. Cap. XVII, ii. 23 - 27.*  
Sed, nonne etiam puellum octo dierum, qui malum rejicere &  
bonum eligere nondum didicit, circumcidi jussit DEVS? ut ne  
xcinderetur ex populo suo, eo, quod fœdus, gratiam DEI in se  
contineans ac conferens, irritum fecerit, *Gen. XVII, 12. 14.*

5. Ut ablutio sordium carnis non servet; servat tamen Sacra-  
mentum baptismatis, loco circumcisionis instituti, quod est bo-  
næ conscientiæ interrogatio erga DEVM, *i. Petr. III, 21. coll. cum*  
*Rom. II, 28. seq.*

6. Quivis infidelis utitur Sacramento ad judicium suum, *i. Cor.*  
*XI, 27. 29.* Ergo non nudum signum est; sed rem continet signatam.

7. Vtique ipsa obsignatio gratiæ divinæ & confirmatio tribui-  
tur DEO Spiritui S. per verbum & Sacra menta ordinarie cum  
homine agenti, *Epb. I, 13. coll. cum. Tit. III, 5.*

Pag. m. 42. Aphorismus 5.

**B**aptismi administratio fœminis & laicis non est concessa.

Est falsus & erroneus Nam

1. Licet ad administrationem baptisini missio requiratur ordi-  
narie; *Job. I, 33. Mattb. XXVIII, 19.* non tamen extraordinarie, ut,  
inter alia, etiam probabiliter colligitur ex *Act. X, 23. 45. 48. Cap.*  
*XI, 12.* ibidem enim ipse Petrus, a DEO missus, non dicitur bapti-  
zasse, sed saltim injunxit baptismum fratribus credentibus ex  
circumcisione, qui cum ipso venientes, numero sex, atque lai-  
ci forsitan tantummodo fuerunt.

2. Tametsi conjungitur baptismi administratio cum prædica-  
tione Evangelii, & in prima ejus institutione iisdem personis in-  
jungitur; *Mattb. XXVIII, 19.* interim tamen quoque privatim

Aquila

Aquila & Priscilla exposuerunt viam DEI, *Aet. XVIII*, 26. concessu autem uno, conceditur & alterum extra ordinem.

3. Quamvis mulieribus non sit concessum publice docere, *i. Cor. XIV*, 34. *i. Tim. II*, ii. inter privatos tamen parietes licet docere, & administrare Sacramentum initiationis, ad *Tit. II*, 3. 4. *Exod. IV*, 25.

4. Fœminis & laicis non quidem est permisum, cœnam Domini administrare in Ecclesia; sed non est par utriusque ratio. Cœna est Sacramentum confirmationis; baptismus autem initiationis, quod nullo modo debet denegari infantibus, recens natis, morti proximis, ubi minister Ecclesiæ ordinarius ante mortem accersi nequit. Secus docentes simillimi sunt discipulis Domini, qui, pueras puerulosve afferentes JESV (fœminas ac laicos) increpabant, atque impedire volebant eos. At videns JESVS, indignatus est, dixitque illis: finite infantes venire ad me, & non prohibete eos, *Marc. X*, 13. 14. *Gal. III*, 26.

5. Datur necessitas, quæ ad hoc cogere potest, α) a mandato JESV, veri DEI & hominis, quod extat, *Marc. X*, 14. qui hoc contemnit, impedit, privatque infantes salutis medio veniendi ad JESVM ordinario, *Marc. XIV*, 16. β) Respectu baptizandi infantis, non baptizantis, cum gratia regenerationis non sit aligata baptizanti, sed ordinarie medio salutis, ex parte DEI *δοτικῷ*, baptismo fluminis, & liberrimæ Spiritus S. operationi, *Zob. III*, 5-8. *ad Tit. II*, 5. 6. contemta autem hac gratia regenerationis ordinaria, contemnitur insimul gratia justificationis, quæ fit per fidem, ingenerandam infantibus, mediante baptismo, *Rom. V*, 1. 1. *Zob. I*, 7. *i. Cor. VI*, 11. *Gal. III*, 26. 27.

Pag. m. 134. Aphorismus 8.

**N**on omnes infantes, in ipso baptissimi externi actu, fide in Christum donantur & regenerantur.

Est falsus & erroneus. Nam

1. Non solum Apostoli olim baptizarunt eos, qui jam actu erant fideles, aut ex judicio charitatis pro talibus habiti; *Aet. VIII*,

VIII, 12. 36.-38. Cap. XVIII, 8. 1. Cor. I, 14. sed sine dubio etiam  
infantes, quorum quoque per fidem regnum cœlorum est, Marc.  
X, 14. Act. XVI, 33.

2. Faciebat omnino fœderatum circumcisio, Gen. XVII, 14. coll.  
cum, Exod. IV, 24. 25.

3. Etiamsi non regenerantur infantes per verbum, sicuti æta-  
te adulti, in quibus fidem verbum dat & baptismus confirmat;  
do nantur tamen a Spiritu S. fide in Christum, & regenerantur  
in ipso baptismo, initiationis Sacramento, infantes, licet non ma-  
gis ceremoniam baptismi, quam verbum intelligent, Matth.  
XVIII, 6. Marc. IX, 42. 1. Petr. III, 21. ad Tit. III, 5.

4. Etsi non omnes adulti, qui ante baptismum jam per ver-  
bum fidem habeant, necesse est, Spiritus S. regenerantis ēvōpytav  
sentiant in actu baptismi; donantur tamen eadem, & confirman-  
tur in fide, quæ deinceps per amorem debet esse operosa in re-  
novatione: Id quod Simon Magus, secus faciens, probe obser-  
vare debuisset utique, Act. VIII, 13. 18-24.

5. Omnes, per verbum DEI informati, jam ante baptismum,  
fideles & regeniti esse debent, ut saltim per baptismum confir-  
mentur in statu gratiæ, Act. II, 41.

6. Quamvis dona DEI sint perpetua, & cum salute ejus, qui  
sibi in individuo vera cordis fiducia applicat, necessario cohærent;  
Rom. VIII, 29. non omnes tamen infantes salvantur: quoniam fi-  
dem, in baptismo acceptam, iterum amittunt, crescente ætate,  
ac per consequens in vanum gratiam DEI recipiunt, Act. XVIII,  
8. coll. cum 2. Cor. VI, 1.

7. Solus sanguis Christi purgat nos ab omni peccato, 1. Job, I,  
7. 1. Cor. VI, 11. Epb. V, 26. & hic īest baptismo, 1. Petr. III, 21.  
coll. cum Apoc. I, 5.

CAPVT

## CAPVT VII.

## DE S. COENA DOMINI.

Pag. m. 143. Aphorismus 3.

**C**hristi corpus & sanguis non est in cœna præsens corporaliter, per contactum corporeum, sive in pane, sive sub accidentibus panis.

Est falsus & erroneus. Nam

1. Continet Capernitarum errorem crassum, & præconceputam opinionem falsam, afflictam iis, qui statuunt Christi corporis & sanguinis veram præsentiam, non pugnantem cum natura Sacramentorum, quæ sunt symbola, non nuda signa, gratiæ, in, cum, & sub quibus res cœlestis porrigitur, Gen. XVII, 10. II. Rom. IV, II. Tit. III, 5. 6. Exod. XIII, 9. I. Cor. X, 16.

2. Hæc præsentia non pugnat cum prima institutione S. cœnæ, in qua Christus mensæ assedit, deditque discipulis suis; non ipse edit, Matth. XXVI, 26. Marc. XIV, 22. Luc. XXII, 19.

3. Neutquam pugnat cum fine institutæ cœnæ, qui est recordatio Christi, Luc. XXII, 19. absentis quidem visibiliter, sed non invisibiliter, Matth. XXVIII, 20.

4. Minime pugnat cum scopo Christi, qui erat α) corpus Christianis dare manducandum sacramentaliter, tum temporis adhuc crucifigendum, Luc. XXII, 19. I. Cor. XI, 24. Joh. II, 19, nunc vero crucifixum, Joh. XIX, 19. gloriosum & impatibile, Philipp. III, 21. Hebr. II, 9. β) de passionis futuræ veritate & fructu discipulos erudire, cuius persuasionem nullus impediebat scrupulus de corpore CHRISTI naturali, in, cum, & sub pane, modo imperfscrutabili, manducando, Matth. XXVI, 26. 30. 32.

5. Nequaquam cum natura veri & humani corporis CHRISTI, quod per se visibile, palpabile, finitum, naturale, figura & quantitate prædictum; Luc. XXIV, 39. 40. Joh. XX, 27. Hebr. II, 17. at-tamen habitabat in eo tota plenitudo deitatis σωματικῶς, Col. II, 9. & poterat facere super omnia ἐκ περισσῶς, quæ intelligimus, Eph. III, 20.

C

6. Haud

6. Haud pugnat cum unitate corporis CHRISTI, quod unum est & manet in æternum, nec multoties ex pane fieri potest, aut debet; cum ex Maria semel natum sit: præsens tamen est ubique in, cum & sub pane in usu sacramenti, invisibili atque supernaturali modo, i. Cor. X, 16. Matth. XXVIII, 20.

7. Pugnat nullo modo cum natura gloriosi corporis CHRISTI, quod est immortale, imparabile, cuius sanguis non amplius effunditur: adeoque nihil eorum pati debet, aut potest, quæ patitur panis, in, cum & sub quo, vere est præsens in S. cœna, Philipp. III, 21. Rom. VI, 9. i. Cor. XV, 41. - 50.

8. Non pugnat cum ascensione CHRISTI in cœlum, & manione ibidem, usque ad extremum diem, i. Cor. XI, 26. confer. Marc. XVI, 20. Matth. XXVIII, 20.

9. Nec pugnat cum expressis Scripturæ testimonijis, Joh. XVI, 28. Cap. XII, 8. Hebr. VIII, 1. ubi non invisibilis, sed visibilis præsentia CHRISTI in hoc mundo intelligitur.

10. Denique nec pugnat cum partibus S. cœnæ, a Christo institutæ, sub utraque specie, scil. panis, in, cum & sub quo, Christi præsens corpus manducatur; & vini, in, cum & sub quo, verus sanguis CHRISTI præsens bibitur, Luc. XXII, 19. 20. i. Cor. XI, 24. 25.

Pag. m. 145. Aphorismus 5.

**I**n S. cœna non est corpus Christi corporaliter, nec manducatur,  
Est fallus & erroneous. Nam

1. Licet manducare corpus CHRISTI spiritualiter, sit credere in CHRISTVM, Joh. VI, 27. 28. 29. & vers. 50. 55. collat. cum vers. 35. 36. add. Joh. VII, 37. 38. item Cap. VI, 47. 48. Manducatione tamen spirituali posita, non tollitur sacramentalis, i. Cor. X, 16. Cap. XI, 24. 25.

2. Potamur per Spiritum, vel in Spiritu S. i. Cor. XII, 13. Joh. VII, 37-39, puta spiritualiter, non sacramentaliter.

3. Omnes qui cœnæ participant, in CHRISTO manere & vi-  
vere possunt, Joh. VI, 56-58. i. Cor. X, 16. si simul spiritualiter  
carnem

carnem CHRISTI edunt: si vero non, edunt & bibunt sibi ipsis judicium, non dijudicantes corpus CHRISTI, 1. Cor. XI, 29.

4. Panis quidem editur in recordationem CHRISTI, & absentiem eum, visibiliter saltim, esse, monet, Luc. XXII, 19. 1. Cor. XI, 24 26.

5. CHRISTVS quidem jam corpore in cœlis, non tamen inclusus, sed ubique replete præfens est quærendus, Col. III, 1. Act. III, 21. Cap. VII, 55. 56. Philipp. III, 19. 20. 21. 1. Reg. VIII, 27.

6. Licet ipse CHRISTVS oralem, capernaiticam, manducationem refutet, Joh. VI, 60. 63. contra capernaitas; interim tamen etiam commendat manducationem spiritualem atque sacramentalem, quæ fit ore corporis, Joh. VI, 54. Marc. XIV. 22-24.

7. Manducatio CHRISTI spiritualis quidem necessaria est ad salutem; Joh. VI, 53. at non ita oralis manducatio necessaria est, cuius sc. necessitas expedientiæ est, non coactionis & exigentiæ, exemplo infantium, & Patrum V. T. ante pascha institutum, Confer. totogenesis.

8. Corporum nostrorum unio cum CHRISTO est utique spiritualis, Eph. III, 17. Cap. V, 30. & fit per fidem, corroborandam, ipso usu Sacramenti altaris digno, Gal. II, 20. 1. Cor. XI, 28. 29. 2. Cor. XIII, 5.

9. Nulla inde sequuntur absurdæ. Corpus CHRISTI enim  
 α) dentibus non comminuitur, & in stomachum conjicitur &c.  
 sed cibat animam, annunciantem mortem Domini, 1. Cor. XI, 26.  
 β) CHRISTVS corpus suum in prima institutione ore corporis  
 non manducavit, sed discipulis suis manducandum dedit, Matth.  
 XXVI, 26. γ) non bis mortuus est CHRISTVS, in statu humilia-  
 tionis, sed semel tantummodo, in crucifixione; 1. Petr. III, 15.  
 Hebr. IX, 27. 28. in Cœnæ autem administratione vixit, & corpus  
 suum, pro nobis adhuc frangendum, Joh. II, 19. sacramentaliter  
 manducandum dedit, 1. Cor. XI, 24. δ) Corpus gloriosum Chri-  
 sti jam neque patitur, neque sanguis ejus effunditur, Hebr. IX,  
 26. 28. ε) Corpus CHRISTI ab impiis & orci victimis sumitur  
 indigne, absque salutari fructu, 1. Cor. X, 21. Cap. XI, 27. 2. Cor.  
 VI, 14-16. ζ) Inutilis non est institutio cœnæ, quamvis corpus  
 CHRISTI

CHRISTI ubique sit præsens, ac quotidie sub omni pane & cibo spiritualiter edi debeat, imo, jam in ore sit, antequam edatur: quoniam spiritualis manducatio replete omnipræsentis corporis CHRISTI, propter unionem personalem, non tollit sacramentalē manducationem, quæ ore corporis fieri debet saltem frequentius, *i. Cor. XI, 24. 25.* π) Corpus CHRISTI in hostia præsens & unitum cum eadem, in usu sacramenti, non est adorandum, sed edendum, *Mattb. XXVI, 26.* Extra usum cessat unio rei cœlestis & terrestris, ac consequenter non est Sacramentum, ideoque multo minus ipsa hostia adoranda est, contra mandatum DEI, *Mattb. IV, 10.*

Pag. m. 147. Aphorismus 7.

**I**n cœna Domini adhibendus est panis verus, alimentalis & cibarius, non oblatæ, ut vocantur, aut nebulæ panis.

Est falsus & erroneus. Nam

1. Verus quidem debet esse panis; nihil autem refert, an magnus sit, vel parvus, rotundus, vel oblongus, fermentatus, vel azymus, i. e. oblatæ, quæ ex aqua & farina subactæ sunt, ideoque non nebulæ panis, sed verus panis, qualem adhibuit CHRISTVS, Matth. XXVI, 26. Deinde Ecclesia Apostolica, *i Cor. X, 16.* usque in hodiernum diem.

2. Scriptura testatur, quod debeat esse vera analogia, inter panem & corpus CHRISTI, (ut, scut ille nutrit corpus, ita hoc nutriat animam) *i. Cor. X, 17.* hac etiam hæ hostiæ non carent: nam α) non carent materia panis veri, farina nempe & aqua. β) Nec quantitate, quæ magna vel parva esse potest. γ) Nec odo-re & sapore, grato homini, sibi pertinaciter non placenti, aut si-millimo populo judaico, fastidienti Man, *Num. XI, 6.*

3. Licet oblatæ non habeant formam panis cibarii, cum dispositionibus ejus careant; habent tamen veri panis materiam, quam forma rotunda non tollit. Sic Man cadebat de cœlo in deserto rotundum & parvum, quod populus deinceps colligebat, molebat molis, contundebat in mortario, coquebat in cacabo, & faciebat

ciebat ex eo placentas pro lubitu; & tamen erat manebatque  
Man, Exod. XVI, 14. Num. XI, 8.

4. Habent finem & effectum veri panis; namque corpus nutriunt, eidem non nocent, & coctionem minime impedire, compriuntur omnes, qui mente non sunt capti, verumque fateri volunt. Sed stultas cohibeamus quæstiones contentionesque: Sunt enim inutiles & vanæ, ad Tit. III, 9.

Pag. m. 149. Aphorismus 9.

**F**ractione panis in S. cœna non est cæremonia adiaphora, sed necessaria & omnino adhibenda.

Est falsus & erroneus. Nam

1. CHRISTVS & Apostoli licet fregerint panem, Matth. XXVI, 26. 1. Cor. X, 16. nullibi tamen mandaverunt fractionem, tanquam necessariam, & omnino adhibendam, a ministro Ecclesiæ distribuente.

2. Fractione panis quidem est cæremonia in S. Cœna, non autem obsignans, sed saltim in memoriam revocans fractionem, h. e. passionem corporis CHRISTI, Joh. II, 19. coll. cum 1. Cor. XI, 24.

3. Non fractione panis, sed ipse panis frangendus, ac inter communicantes distribuendus, communio corporis CHRISTI est, atque nostram in uno corpore mystico communionem obsignat, 1. Cor. X, 16. 17.

4. Etiamsi totum sacramentum ab hac cæremonia nomen acceperit, Act. II, 42. manet tamen fractione cæremonia adiaphora: quoniam nullum mandatum extat divinum, fractionem urgens.

## CAPVT XXVIII, DE MISSA.

Pag. m. 156. Aphorismus 5.

**C**œna privata, quæ singulis moribundis administratur, citra fiducium congregationem aut coparticipationem, non est admittenda.

C 3

Est.

Est falsus & erroneus. Quia

1. Licet Apostoli celebraverint cœnam in Ecclesia, 1. Cor. XI,  
20. Act. XX, 7. & CHRISTVS inter Apostolos; Matth. XXVI. 26. 27.  
fregerunt tamen etiam panem passim in domibus, Act. II, 45.

2. Qui privatim communicat digne, pertinet ad Ecclesiam  
Sanctorum, inter quos cœna publice celebrata, est symbolum  
communionis, 1. Cor. X, 17.

3. Rejecta omni superstitione opinione, omnino dici potest  
viaticum, quo anima fidelis moribundi, in fide confirmata, &  
de vita æterna certior facta, in cœlum evolat, Joh. VI, 47-58.  
coll. cum 1. Cor. XI, 26.

## CAPVT XXIX.

### DE FIDE.

Pag. m. 157. Aphorismus 1.

**F**ides temporaria non differt sola duratione a fide salvifica, sed etiam specie, essentia & tota natura.

Est falsus & erroneus. Nam

1. Fides quidem salvifica excipit sermonem, in terra bona, frumentum fert, perseveratque ad finem: Matth. XIII, 23. coll. cum Cap. XXIV, 13. contra, fides temporalis est in terra petrosa, & ad tempus vera vivaque est; at tempore afflictionis ac persecutionis, deficit, Matth. XIII, 20. 21. coll. cum Luc. VIII, 13.

2. Si subiectum fidei temporalis, non habentis radicem (scil. profundam,) ad tempus credit vere, testante ipso Salvatore CHRISTO; sequitur infallibiliter, fidem salvificam, recipientem sermonem & retinentem, differre, sola duratione, a fide temporali, Luc. VIII, 13. 15. Atqui verum est prius, ergo & posterius.

3. Si

3. Si in fide temporali nihil desideratur, quam, quod deficiat in afflictionibus, Matth. XIII, 20. 21. Luc. VIII, 13. extra controversiam est, eandem, non specie, essentia, ac tota natura, sed duratione saltim, differre a fide salvifica, quæ cum patientia fructum profert, Luc. VIII, 15. Matth. XIII, 23. & difficultates omnes superat, Rom. VIII, 34. 38. 2. Cor. IV, 16-18. 1. Job. V, 4. Rom. V, 1-5.

4. Contradicit sibi ipsi Dn. Author, concedendo, temporaria fide præditos, gustare futuri seculi virtutes. At, sodes! per quodnam medium appensionis? nonne per veram fidem? a qua iterum deficiunt? Hebr. VI, 4. 5. 6. si perseverarent, possent cum aliis, in fide perseverantibus, edere ac bibere ipsum cibum ac potum vitæ æternæ in secula seculorum, Joh. IV, 14. Cap. VI, 33. 35. 50-58. Cap. X, 28. Apoc. II, 10.

### Pag. m. 160. Aphorismus 5.

**Fides justificans & salvifica est electorum propria.**

Est falsus & erroneous. Nam

1. Non fluit ex electione, sed electio, intuitu fidei justificantis & salvificæ perseverantis, facta est, Act. XIII, 48. Tit. I, 1. Rom. IX, 16-18. Cap. XI, 32. Joh. I, 12. Cap. XI, 25. 26.

2. Qui credunt perseveranter, Apoc. II, 10. dati sunt CHRISTO a Patre, Joh. VI, 37.

3. Ratio, quod aliqui non credant, est, quod non sint oves Christi, (non ordinatio DEI absoluta) &, quia sunt a Patre, Diabolo, & desideria Patris sui volunt facere, Joh. VIII, 44. 45. Cap. X, 26.

4. Non soli electi justificantur, licet soli glorificantur, Rom. VIII, 29. 30. nam *πρόσκαιροι*, qui circa fidem naufragium faciunt, justificantur etiam, Luc. VIII, 13. 1. Tim. I, 19. Rom. V, 1.

5. Per

5. Per fidem sumus membra CHRISTI, & Filii DEI, Joh. I, 12. Eph. III, 17. & hoc non solorum electorum est, qui in fide ad finem usque perseverant ac salvantur; Eph. I, 5. Matth. XXIV, 13. Sed etiam eorum, qui ad tempus credunt, tempore tentationis, deficiunt, & a fide aberrant, Luc. VIII, 13. I. Tim. VI, 10. Gal. III, 26.

6. Fides non ad tempus, sed ad mortem, usque, electionis & salvationis *κρίσισιον* est, 2. Corinth. XIII, 5. collat. cum Apoc. II, 10.

7. Omnibus fidelibus usque ad mortem, datur vita æterna, Job. III, 16. 18. Cap. V, 24. Cap. XI, 25. 26. Ergo, illa solis electis datur: quoniam hi soli finaliter credunt, Job, X, 28. collat. cum Apoc. II, 10.

## CAPVT XXX.

### DE PERSEVERANTIA SANCTORVM.

Pag. m. 168. Aphorismus 1.

**V**ere fideles fidem fideique fructum nunquam totaliter & finaliter amittunt, aut a gratia DEI excidunt.

Est falsus & erroneus. Nam

1. Ipse quidem DEVS in fide & charitate conservare vult; Jer. XXXII, 40. Ps. XXXVII, 23. 24. 28. Joh. X, 28. 29. I. Petr. I, 5. interdum tamen circa fidem faciunt naufragium, I. Tim. I, 19.

2. Vivum DEI Verbum semen fidei & regenerationis imortale est, & manet in æternum, I. Petr. I, 23. I. Joh. III, 9. unde omnes regenerati & fideles, ad mortem non peccant, scil. quam diu custodiunt se, I. Joh. V, 17. 18.

3. Insolubile, inter veram fidem, non ad tempus videlicet, sed ad finem usque perseverantem, & vitam æternam est vinculum, Matth.

M<sup>t</sup>th. X, 22. Joh. III, 16. 36. Cap. IV, 14. Cap. V, 24. Cap. VI, 35.  
50. - 58. Cap. XI, 25. 26.

4. Arbores sunt nunquam exarescentes, manentes nempe in  
vera fide & renovatione, Ps. I, 1-3. Eph. II, 8. 9. 10.

5. CHRISTVS quidem pro ipsis orat; *Luc. XXII, 31. 32.*  
*Job. XVII, 15. 20. 21. vers. 11. 12. ibid. Rom. VIII, 34.* Petrus ta-  
men ter abnegat, *Matth. XXVI, 75.* & peccatum in Filium  
hominis committit, *Cap. XII, 32.*

6. Soli electi, intuitu fidei, finalis non possunt seduci, NB. ita,  
ut pereant, *Matth. XXIV, 24. Ps. CXXV. 1. Job. III, 15.* nec  
infernus ipsis prevalere potest, *Matth. XVI, 18.*

7. Ex parte DEI pactum cum fidelibus est æternum & firmum;  
*Hos. II, 18. 19. Jes. LIX, 21. Jer. XXXI, 3.* Homo autem sæ-  
pius fit fœdifragus, *Ebr. VIII, 9.*

8. Evidem donorum suorum DEVUM non pœnitit; *Rom XI,*  
29. attamen idem, in interitu eorum, qui omne consilium DEI  
dunt irritum, & correptioni ejus non acquiescunt, ridet ac sub-  
fannat, *Prov. I, 25. 26.*

9. Quicunque decidit, & proæretice peccat, fidem fideique  
fructum amittit totaliter, licet non finaliter excidat gratia DEI,  
sed resurgat, *Ps. XXXVII, 23. 24. Matth. XXVI, 70. 75. 2. Sam.*  
*XII, 13.*

10. Immobilis est electio, intuitu fidei, puta perseverantis, in  
CHRISTVM, facta, *2. Tim. II, 19. Eph. I, 4.*

II. Inter glorificationem ac vocationem, ex parte DEI, semper  
efficacem, vinculum rumpitur ab iis, qui nolunt credere mis-  
ericordiæ DEI, *Rom. VIII, 29. 30. coll. cum Cap. XI, 31.*

Cæteroquin, cum Dn. Auctore, ex rationibus allegatis statuo  
firmiter, quod fideles, cum pavore & tremore operantes salutem

D

suam

suam, Philipp. II, 12. possint ac debeant esse certi de perseverantia sua & futura salute.

## CAPVT XXXII.

## DE SANCTIFICATIONE.

Pag. m. 185. Aphorismus 2.

**G**ratia conversionis non est universalis, b. e. non datur omnibus sine discretione a DEO gratia sufficiens, qua converti ad DEVUM, & tandem aeternum servari possent.

Est falsus & erroneus Nam

1. Licet homo, nondum renatus, nullas habeat beneficiendi vires, aut ad DEVUM convertendi; *Jer. XIII, 23. Matth. VII, 18. &c.* gratia tamen sufficiens ei datur a Spiritu S. in ipsa conversione, *Jer. XXXI, 19.*

2. Gratia vocationis externæ est universalis. Vide Caput XXIII. de Evangelio & vocatione externa, Aphorism. III. refutatum, pag. 38.

3. Populo Israelitico, inter maxima miracula, cor ad intelligendum non dedit DEVVS, *Deut. XXIX, 2. 4.* quia obdurabant cor, sicut Pharao, *Exod. VIII, 32.* & latebat illos, hoc volentes, *2. Petr. III, 5.*

4. Ad conversionem requiritur & sufficit ordinaria quædam gratia; interim datur etiam peculiaris vocatio, revelatio, apertio cordis, *Rom. VIII, 28-30. Matth. XIII, 11. Cap. XVI, 17. Job. VI, 44-45. Act. XVI, 14. 2. Tim. II, 25. 26. Ezech. XXXVI, 26. 1. Cor. XII, 3. Ephes. I, 17. 18.*

5. Concessa gratia universali sufficiente, conceditur gratia, quæ ad certas restringitur personas, *Matth. XIII, 11. Cap. XI, 26. seq. Luc. IV, 25-27. Rom. VIII, 29. 30. Cap. X, 11. 12. 13.*

6. Gen.

6. Gentiles ante conversionem, erant sine DEO, sine CHRISTO & spei expertes, Ephes. II, 12. quippe, ob neglectam cognitionem DEI, semet ipsis revelantis, Rom. I, 19. 28. Eph. IV, 17. 18.

7. Adstruendo gratiam universalem sufficientem, homo non est causa discretionis suæ, contra 1. Cor. IV, 7. Rom. IX, 11.

ob 8. Licet non omnes intelligent, se in peccatis esse mortuos, & opus habere justificatione per CHRISTVM, Apoc. III, 17. ipsi tamen sunt in culpa, 2. Cor. III, 14. 15. 16.

Pag. m. 186. Aphorismus 3.

**G**ratia, qua DEV S hominis conversionem operatur, est irresistibilis, sic, ut illa gratia cum intentione DEI de homine convertendo posita, infallibiliter sequatur conversionis effectus: nec pendet illius gratiae effectus a voluntate hominis volentis, aut nolentis converti.

Est falsus & erroneus. Nam

1. Spiritus convertens, ea quidem operatur efficacia, qua excitavit CHRISTVM a mortuis, Eph. I, 19. Coll. II, 13. unde appellatur conversio vivificatio hominis mortui, Coll. II, 13. Eph. II, 5. 6. creatio nova, Ps. LI, 12. Eph. II, 10. 2. Cor. V, 17. Gal. VI, 5. regeneration; Job. III, 35. vult etiam, 2. Petr. III, 9. Ezech. XVIII, 23. ac potest convertere unumquemque hominem, Rom. IV, 17. verum, neque volentem, neque nolentem; sed non resistentem gratiae efficaci Spiritus S. Act. VII, 51. nec ejusdem motus per verbum horrendem ac supprimenterem, Act. XXIV, 24.

2. Licet divina vis donet nobis omnia, ad fidem & pietatem necessaria, 2. Petr. I, 3. atque adeo ipsum etiam velle & efficere; Philipp. II, 13. non tamen obtorto collo cogit nos, libertate a necessitate interna præditos, Jos. XXIV, 15.

3. Etiamsi DEVS ipsum bene velle dat, ubi operatur ad nostri conversionem, *Jer. III, 33. Deut. XXX, 6. Ezech. XXXVI, 27. Ps. XXV, 4. 5. Ps. CXIX, 36. Jerem. XXXII, 39. 40.* flectit enim DEVS hominum corda, quo vult; *Prov. XXI, 1.* interim tamen dicit etiam idem Jehova: totum diem extendi manus meas ad populum, qui non credit, & contradicit, *Rom. X, 21.*

4. Evidem DEVS ipsam cordis resistentiam tollit, operando ad nostri conversionem; *Ezech. XXXVI, 26. seq. Deut. XXX, 6.* verum enim vero possumus nos cor nostrum obvertere, *Deut. XXX, 17. Act. VII, 52.*

5. Quanquam arbitrium, seu voluntas hominis, est serva peccati a natura, & operatio gratiae ab ea non pendet; exinde tamen non sequitur, Spiritum S. per gratiam irresistibilem convertere ac cogere violenter hominem, ratione praeditum. Contrarium Scriptura S. docet, *Ezech. XVI, 4-34.*

6. Homo quidem non debet discernere se ipsum & gloriari, ac si non accepisset ea, quae habet; *i. Cor. IV, 7.* interea tamen non accepit ex gratia irresistibili, quam infallibiliter sequitur conversionis effectus, *Deut. XXX, 15-19.*

7. Ut autem misericordiae & voluntatis miserendi effectus non pendeat a voluntate hominis; *Rom. IX, 15. 16. 18.* libera tamen ejusdem voluntas a necessitate interna est; nec obedit semper voluntati miserentis ac convertentis DEI, *Mattb. XXIII, 37. Jes. XXVIII, 12. Rom. X, 16.*

8. Posita gratia resistibili, non sequitur, principium salutis esse ab arbitrio hominis, prævertente DEI gratiam: & efficacius esse arbitrium hominis, actione DEI convertentis, qui in opere conversionis non absolute agit, sed secundum ordinem salutis, a semet ipso præscriptum, *Act. XVII, 30. Cap. XXVI, 18.*

9. Posita eadem, non sequitur, humanæ voluntatis interven.


tu, DEVM suo fine frustrari, dum, per applicationem gratiæ, convertere intendit hominem, quem convertere immediate non vult, mediate autem non potest, ob resistentiam & rejectionem omnium mediorum salutis malitiosam: qui enim vult finem, vult etiam media, 2. *Cron. XXXVI*, 15. 16.

io. Qui vocatur & trahitur a Patre, infallibiliter venit ad CHRISTVM, *Job. VI*, 44. 45. 65. si non abit in ea, quæ retro, vers. 66.

ii. Non sequitur, DEVM nihil amplius "agere in fidei, quam in reprobo: nam in fidei usque ad mortem perficitur gratia DEI convertentis, ac obtinet; in reprobo autem, & culpa sua ad interitum aptato, non ita, *Rom. XI*, 22.

### EPILOGVS.

**H**æc in præsentî, meis ut starem promissis, circa Aphorismos Theologicos LVDOVICI DE DIEV fuerunt monenda, communicandaque studiosa, cum juventute quæ eos forsan habet, ac legit. Plura quidem proferri potuissent; sed modus adhibendus erat: quoniam una hac disputatione, minime spissa, modo dicti Auctoris Aphorismos Theologicos in primis falsos & erroneos maxime, tantum refutare mecum constitueram, majori posthac veritatum Theologicarum, a DE DIEV corruptarum, plurium defensori cedens. Ceterum, si quid S. literis, si quid puræ & veræ doctrinæ, vel ulli veritati dissentaneum a me scriptum est, id minime scriptum esto.



DN. AVCTORI

S. P. D.

# M.BENIAMINVS BILERUS

ECCLESIAE SVIDN. PASTOR ET EPHORIAE  
IESSEN, ADIVNCTVS,

**E**x quo mibi, Amice, primum innotescere, & desque olim Betavientes mecum inhabitare cœpisti, in bonis literis, artibus, moribus que meos instituens, omnia ad voluntatem DEI, emolumenatumque proximi, domusque speciatim meæ facere studiasti. Hinc mutua charitas, mutuusque gressus nova indies incrementa cepit atque delectamenta, idque eo magis, cum provida DEI cura nunquam satis laudanda, adorandaque, nos in hanc urbem Electoralem simul duxisset, & ecclesiæ Christi docendæ præfecisset. Quia propter etiam nunc in animum induxi, publice TIBI de primo in Theologia gradu, quem Candidatram vocant, capessendo, gratulari, insimul rogans, permittas, Vir per quam reverende, ut in præsentia quæstionem aliquam, quæ argumenzo, quod tractas, haud inconveniens videatur, moveam. Venit mibi hic in mentem recordari controversiæ illius non nudius tertius, sed per ducentos jam annos, evangelicos inter confessores, atque C. Reformatos agitatæ, de omnium ac singulorum omnino hominum vocatione DEI seria & ordinata ad salutem æternam. Hanc veritatem &que biblicam & divinam esse, ac illam, qua Christus totius mundi Redemptor afferitur atque creditur, defendimus, dissentientes autem Reformati contrarium ad hanc usque diem propugnare non verentur. Provoco non modo ad RÜSSENIVM, cuius summa Theologiæ 1731. denuo prodiit; sed in primis etiam ad istos novos Theologias Calvinia-

næ

næ promachos, qui gratiam DEI universalem, ante annum, impugnabantur. Primus est DRIESENIVS, contra quem jam pridem sub DN. D. CHLADENIO, nunc beate defuncto, disputavi: alter est HEINSIVS; & tertius audit SPITZIVS, qui acute satis arguteque, adversus dogmata Evangelii declamans, varie ballucinatur, & Iudeos ideo converti non potuisse, dicit, quia viribus suis naturalibus utinoluisserent, p. 51. atque HEINSIVS in saniorem doctrinam celeberrimumque Dn. D. RVSSENIVM summe injurius est, gratiam istam universalem & voluntatem DEI ordinatam, prout eam ex verbo DEI describimus, miseram salvationem vocando p. 161. Sed paucisjam cum primo saltem congrediar, super quæstione: quem in finem ministri in Ecclesia verbum DEI impiis & reprobis prædicare possint? ad quam quæstionem, suo jam tempore, more, Calvinianis consueto, respondit WVDIVS, in prædestinatione p. 113. seq. ideo DEVVM permittere & concedere verbum DEI prædicari reprobis, ut aliquando sint inexcusabiles Antonius autem DRIESENIVS alio modo quæsitum enodare studet, scribendo: voluntas præcepti, de qua nobis constat, non autem voluntas arcana, seu decreti, quam non intelligimus, doctori & auditori regula actionum est. Hanc suam opinionem duabus rationibus fulcire cupit. Vnam desumit ab arcano DEI beneplacito, juxta quod concionator electis saltem verbum ad fructum salutemque prædicet. Alteram vero petit a distinctione inter verbi virtutem duplensem, quam, cum Fanaticis, fingit ac describit, modo, ut virtutem mere moralem & persuasoriæ, modo, ut animatam & efficacia Spiritus S. præcipua elevatam p. 121. seq. & p. 50. seq. de quibus erroribus plura dixit D. MICRELIUS, in lib. 12. de prædestinatione p. 347. D. WEINRICHIVS in examine sententiæ synodi Dordrechtanæ de absoluto decreto, & D. CALOVIVS, in Colleg. Anti-calviniano, disp. II. Quibus addendum censeo, secundum Scripturam S. DEVVM omnium omnino hominum, cujuscunque sint ætatis, conditionis, & ordinis, salutem æternam serio, ac justo ordine, velle, & ipsis

ipsis ideo salutis media exibivere, i. Tim. II, 4. Ej. LXV, 2. omniū  
quoque & singulis, (nullo excepto) voluntatem suam antecedentem  
(prout modus vocationis directæ, indirectæque requirit) patefacere,  
ac verbo ad hominum corda operari, quod interna eaque divina virtu-  
te prædictum est, Job. VI, 63. & gratiam primam iisdem ultro offer-  
re, atque, si non resistunt, successive vereque conferre, Ap. III, 20. Re-  
linquitur ergo, quod concionator verbum prædicando, omnibus hanc gra-  
tiam contestari debent: Deum serio velle, ut omnes credant &  
salventur, eo nimirum ordine, quem præscripsit. Hæc orthodoxia,  
cum voluntatem DEI finemque Evangelii referat, accurate tenen-  
da, & nunquam deserenda est. Recte igitur facis, Collega æstu-  
matissime, quod hoc tempore, quo intermissio elenchi omnibus pro-  
pe erroribus, etiam atrocissimis, januam aperit, de novo in aciem  
prodire sustineas, et veritatem evangelicam a corruptelis Calvinianis  
vindicare incipias. DEVS TE adjuvet, faxitque, ut valeas in  
**CHRISTO** & res TVAS porro ex animi sententia peragas!



Coll. diss. A. 138, 32